

tiones, & si rem ipsam spectes nihil absurditatis fovet. Interim tamen posterior naturæ cœli convenientior videtur. Quia enim cœlum omnium corporum naturalium est supremum, & illa undiquaque ambit, ut ex sequentibus patebit; id autem fieri nequit nisi per superficiem concavam, collectu facile est, vocabulum cœli à Græco *κοῖλον*, quod concavitatem denotat, minus vitiosè derivari. Accedit & hoc, quod vox cœlum ab omnibus ferè Authoribus per *æ* scribatur. At cum hæc diphthongus ex diphthongo Græca *οι* ut plurimum oriatur, & hujus certissimum sit indicium, non sine ratione quis concluderet, τὸ cœlum non posse aliunde deduci, quàm ἀπὸ τοῦ κοῖλον, non secus ac vox *œconomus* à Græco *οἰκονομος*.

§. 3. Nomina, quibus cœlum insignitur, plura reperire licet, ut apud varios authores, Poetas præsertim, ita non minus apud ipsum Philosophum. Huic quippe cœlum jam appellatur *ὀυρανία*, *ὀυρανός*, ἀπὸ τοῦ ὀρεν εἶναι τὰ ἄνω, quia est terminus eorum quæ supra sunt, Arist. de mund. c. 6. Mox nominatur *ὀλυμπος* Olympus, quasi *ὀλολαμπής* i. e. totus lucens, quod stellis in se contentis ubique luceat. Arist. loc. cit. Mox iterum vocatur *αἰθήρ* æther, vel ἀπὸ τοῦ αἰθεῖν à semper currendo, quod stellæ in ipso positæ semper currant & moveantur, ut habet